



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de
Matrimonio

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Art. I. An circumcisio primariò & per se instituta fuerit in remedium peccati
originalis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

ARTICULUS PRIMUS.

An circumcisio primario & per se instituta fuerit in remedium peccati originalis?

P Artem negantem tenent Suarez, Delugo, & alii ex Recentioribus, existimantes circumcissionem primario fuisse datam populo Judaico, ad congregationem ejus, & segregationem ab aliis; secundario vero & ex consequenti, ad remissionem peccati originalis. Affirmativa vero adhaerent Soto, Cabrera, & alii Thomistae, cum quibus

Dico breviter, Sacramentum circumcissionis per se primo institutum fuit ad remissionem peccati originalis, & solum secundario, seu ex consequenti, ad consignandum Dei populum, illamque a ceteris distinguendum.

Probatur primo conclusio ex D. Thoma in 4. dist. 1. quaest. 2. art. 1. quaest. 1. in corp. ubi illam docet expressè dicens, quod primo & principaliter necessaria fuit circumcisio, ad expressiorem significationem ablationis peccati originalis, sed ex consequenti aliam fuisse ipsius utilitatem, scilicet distinctionem fidelis populi ab infidelibus.

Probatur secundo: Circumcisio fuit in lege Mosaiica verè & propriè Sacramentum: Sed de ratione veri & proprii Sacramenti est quod per se primo ordinetur ad gratiam sanctificantem, quàm ad quodcumque aliud: Ergo circumcisio per se primo instituta fuit ad conferendam gratiam sanctificantem, & remittentem peccatum originale, non verò ad consignandum Dei populum, illumque a ceteris distinguendum. Majorem concedunt Adversarii, Minor verò probatur. De ratione veri Sacramenti est quod per se primo ordinetur ad finem ejus præcipuum, Sed finis præcipuus Sacramenti & institutionis ejus est nostra sanctificatio per gratiam, propterea si quidem definitio ejus essentialis est, quòd sit signum rei sacrae sanctificantis nos: Ergo de ratione Sacramenti est quòd per se primo ordinetur ad gratiam sanctificantem.

Confirmatur: Ad id prius & principaliter instituitur Sacramentum, quo sublato, destruitur ratio Sacramenti, quàm ad illud quo non posito, ponitur tamen & salvatur ratio Sacramenti: Sed sublata sanctificatione fidelium, non potest salvari ratio Sacramenti: è contra verò sublata ratione consignationis, & distinctionis populi fidelis ab infideli, salvari potest in signo sensibili ratio Sacramenti: Ergo Sacramentum circumcissionis prius & principaliter institutum fuit ad conferendam gratiam sanctificantem, & delentem peccatum originale, quàm ad consignandum Dei populum, illumque a ceteris distinguendum.

Confirmatur amplius: Sacramentum baptismi per se primo institutum est in lege gratiae, ad delendum peccatum originale, & solum secundario ad distinguendum fideles ab infidelibus, ratione characteris Christi quem implet: Ergo idem dicendum est de circumcissione respectu populi Judaici.

Contra istam conclusionem objicitur primo: Scriptura Genes. 17. refert institutionem circumcissionis, & tamen nullam facit mentionem remissionis peccati originalis, sed solum consignationis populi Dei, ait enim: Hoc est pactum meum quod observabit inter me & vos, & semen tuum

A post te: circumcidetur ex vobis omne masculinum & circumcidetis carnem praeputii vestri, ut sit signum foederis inter me & vos. Item Apostolus Roman. 2. inquit quare esset utilis circumcissio? & respondet: Quia illi sunt creati de Deo, nullamque aliam asserit causam: Ergo contra circumcissionem non datam esse, per se praeceptum, nisi ut populus Judaicus separatus a reliquis, specialem Dei legem acciperet.

Ad locum Genesis citatum respondeo quòd ceteri in eo fiat solum mentio consignationis populi Dei, tamen ex aliis verbis quae leguntur ibidem colligitur aperte circumcissionem etiam fuisse institutam ad remittendum peccatum originale, cum enim habetur: Anima cuius praeputium caro circumcisa non fuerit, delebitur (vel ut legi D. Augustinus lib. 3. contra Julianum cap. 18.) perit a populo meo. Quae verba idem S. Doctor ibidem docet intelligenda esse non tantum de adultis, sed etiam de parvulis. Quoad locum Apostolus dico, idcirco nullam ibi Apostolum fecisse mentionem remissionis peccati, quia ejus in eo erat docere ex operibus legis, tanquam ex causa efficientibus justificationem, neminem justificari: si autem inter utilitates circumcissionis numerasset remissionem peccati, arbitrati fuissent Judaei, quòd illam circumcisio activè efficiens, consequenter quod ex operibus legis efficientibus justificationem, esset eorum justificatio.

Objicitur secundo: D. Thomas 1. 2. quaest. 110. ar. 5. ad 1. dicit litteralem, principalemque rationem instituendi circumcissionem, fuisse promotionem fidei unius Dei, figuralem verò ad significandum ablationem corruptionis per Christum faciendam, quae corruptio provenit in eo per carnalem originem ex peccato primitivo: Ergo censet Sacramentum circumcissionis non fuisse principaliter institutum, ad tollendum peccatum originale, sed ad consignandum illi populum, illumque a ceteris distinguendum.

Sed nego Consequentiam, cum enim factum sit signum & figura rei spiritualis sanctificationis hominem, significatio figuralis in circumcissione, & in quolibet alio Sacramento, est magis principalis, quàm sit quaecumque litteralis, unde ex eo quòd D. Thomas loco citato docet ablationem corruptionis ex peccato originali provenientem, seu ipsius peccati originalis remissionem, fuisse rationem figuralem instituende circumcissionis, tantum abest quòd conclusionem nostram infirmet, quin potius eam confirmet & doceat. Neque obstat quòd significationem illam quae in circumcissione est litteralis, vocet principalem, non enim eam hoc nomine appellat, per comparisonem ad figuralem, sed ad alias litterales rationes principales, quas ibidem refert, videlicet ad debilitationem concupiscentiae in membris quod circumcidebatur, & ad fugillationem sacrum veneris & priapi, in quibus illa pars corporis honorabatur, quas vocat secundam & tertiam rationem litteralem institutionis circumcissionis.

Objicitur tertio: Si circumcisio fuisse per se primo & principaliter instituta ad remissionem peccati originalis, cum tale peccatum masculis & feminis commune sit, non debuisse per se masculis institui, nec differri usque ad octiduum diem. Item populus Israeliticus usus fuisse hoc remedio quadraginta annorum spatio, quòd miratus est in deserto, remedium enim peccati non esset tanto tempore dilatum.

Respondeo negando omnes illas sequelas: ad

probationem primæ, dico quod licet peccatum originale sit commune masculis & feminis, quia tamen masculus est causa translationis illius, non vero femina; ut docet D. Thomas 1. 2. quæst. 81. art. 4. & hic art. 2. ad 4. ubi ait: *Peccatum originale contra quod specialiter circumcisio ordinabatur, a patre trahitur, non a matre*; congruum fuit quod Deus in lege veteri remedium aliquod speciale, nimirum circumcisionem, pro solis masculis institueret.

Ad probationem secundæ respondeo, remedium peccati originalis non debuisse quidem differri usque ad octavum diem, factâ suppositione quod nullum aliud exitisset pro illis infantibus qui ante octavum diem erant in periculo mortis constituti: verum cum pro istis reliquisset Deus, sicut pro feminis, applicandum remedium legis naturæ, nullum erat inconveniens, quod circumcisio usque ad octavum diem differretur.

Ad id quod additur de populo Israelitico dicendum, cum populo illo in deserto per annos quadraginta comorante, divinitus dispensatum fuisse, ut sine circumcisione salvari posset, utendo remedio legis naturæ contra peccatum originale; idque propterea quod Judei tunc essent veluti in continuo motu, ignorantes quando castra movenda essent, vel contra hostes præliandum, proindeque sine gravi & evidenti periculo circumcidi non possent. Ita D. Thomas hic art. 4. ad 3. ubi addit, quod videtur nullum eorum qui in deserto nati sunt, & non circumcisi, fuisse mortuum, priusquam jubente postea Josue circumcideretur, quia ut Plal 14. dicitur: *Non erat in tribubus eorum infirmus*, & Josue 5. solum dicitur, mortuos fuisse in deserto eos qui exierant de Aegypto, qui omnes circumciserant.

ARTICULUS II.

An quomodo in circumcisione gratia conferretur?

Dico primo: in circumcisione gratia conferebatur. Ita D. Thomas hic art. 4.

Probatur primo: Circumcisio erat verum antiquæ legis Sacramentum, ut communiter docent Theologi: Sed de ratione veri Sacramenti est, quod sit signum prætium gratiæ, subindeque quod eam causet, vel saltem quod ad ejus præsentiam à Deo causetur, ut patet ex dictis in Tract. de Sacramentis in communi disp. 1. art. 1. Ergo in circumcisione dabatur gratia sanctificans.

Probatur secundò: In circumcisione peccatum originale remittebatur, unde Bernardus: *Quod aqua Baptismi abluit, hoc petra circumcisionis abradit*. Et Beda in homilia circumcisionis: *Idem salutiferæ curationis auxilium circumcisio in lege contra originalis peccati vulnus agebat, quod baptisimus agere revelata tempore gratiæ consuevit*. Sed remissio peccati (saltem de lege Ordinaria) sine infusione gratiæ fieri nequit: Ergo in circumcisione conferebatur gratia sanctificans. Quare S. Thomas hic art. 4. & supra quæst. 62. art. 6. ad 3. rejicit opinionem Magistri sententiarum, & aliorum antiquorum, dicentium quod in circumcisione non conferebatur gratia, sed solum auferetur peccatum: *Hoc enim* (inquit) *non potest esse, quia culpa non remittitur nisi per gratiam, secundum illud ad Roman. 3. Iustificati gratis per gratiam ipsius*.

Dico secundò: Circumcisio & alia veteris legis

Tom. V.

A Sacramenta habebant vim quandam moraliter excitantem Deum ad dandam gratiam ritè ea suscipientibus, carebant tamen virtute gratiæ productivâ, quæ reperitur in Sacramentis novæ legis: subindeque non causabant gratiam ex opere operato activè, sicut Sacramenta novæ legis, sed tantum passivè.

Probatur prima pars: Circumcisio & alia veteris legis Sacramenta, erant signa & figuræ passionis Christi futuræ, cujus intuitu Deus gratiam in antiqua lege conferebat: Sed à ratione signi vis excitativa moraliter inseparabilis est: Ergo circumcisio, & alia veteris legis Sacramenta, habebant vim moraliter excitativam, quâ Deum movebant ad conferendam gratiam, ad ipsorum præsentiam, intuitu passionis Christi futuræ, significabant.

Confirmatur: Promissio habet moralem vim ad movendum eum qui promittit ut impleat promissâ: Sed circumcisio, & alia Sacramenta antiqua, fuerant promissiones seu signa quibus Deus quasi in figuris promittebat Christum, & gratiam ex meritis ipsius dandam, unde Apostolus ad Hebræos 11. ea vocat *re-promissiones*, quia per illa Sacramenta id quod Deus promitterat, continuo renovabat, re-promittendo quotidie: Ergo circumcisioni, & aliis veteris legis Sacramentis, competeat vis quædam moraliter excitativa, quâ Deum ad conferendum gratiam ad ipsorum præsentiam moraliter excitabant.

Secunda pars quæ asserit circumcisionem, & alia veteris legis Sacramenta, caruisse virtute gratiæ productivâ, quæ in Sacramentis novæ legis reperitur, patet tum ex Apostolo ad Galat. 4. omnia vetera Sacramenta, *elementa infirmæ & egenæ*, appellante. Tum ex Florentino in Decreto Eugenii, ubi dicitur quod Sacramenta nostra, multum à Sacramentis differunt antiquæ legis, illa enim non causabant gratiam, sed solum per passionem Christi dandam figurabant: hæc verò nostra, & continent gratiam, & eam dignè suscipientibus conferunt.

Idem docet D. Thomas hic art. 4. in corp ubi sic concludit: *Dicendum est quod in circumcisione conferebatur gratia, quantum ad omnes gratias effectus, aliter tamen quam in Baptismo; nam in Baptismo confertur gratia ex virtute ipsius Baptismi quam habet in quantum est instrumentum passionis Christi iam perfectæ: in circumcisione autem conferebatur gratia, non ex virtute circumcisionis, sed virtute fidei passionis Christi, cuius signum erat circumcisio; ita scilicet quod homo qui accipiebat circumcisionem, prostebatur se suscipere talem fidem, vel adultus pro se, vel alius pro parvulis, unde Apostolus dicit Roman. 4. quod Abraham accepit signum circumcisionis, signaculum iustitiæ fidei, quia scilicet iustitia erat ex fide significata, non ex circumcisione significante*.

Ex his probata manet tertia pars conclusionis, quæ asserit, circumcisionem non causasse gratiam ex opere operato activè, sicut Sacramenta novæ legis: si enim circumcisio, & alia veteris legis Sacramenta, carebant virtute gratiæ productivâ, nullam poterant habere activitatem in ordine ad productionem gratiæ, nec activè in eam influere, seu illam conferre, sicut modò baptisimus, & alia novæ legis Sacramenta.

Quod verò circumcisio dederit parvulis gratiam ex opere operato passivè, manifestum est, nam ad hoc ut aliquod Sacramentum dicatur conferre gratiam ex opere operato passivè, sufficit quod ad positionem ejus Deus gratiam conferat.

V ij

abl